



Modvs Frvctvose Celebrandi Missam

**Giustinelli, Pietro
Belli, Domenico**

München, 1649

Feria secunda.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55294](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55294)

fida tutela, atq; fortissima custodia, vt hostes omnium bonorum confusi discedant per virtutem tanti mysterij, & per manum sancti Angeli tui. Repelle à me Domine Iesu Christe, & à cunctis seruis tuis durissimum spiritum superbiæ, cenodoxiæ, inuidiæ, iracundiæ, fornicationis, & immunditiæ, dubietatis, & blasphemæ. Confundantur, qui me persequuntur: pereant illi, qui perdere cuncta festinant.

Feria secunda.

Rex virtutum, amator castitatis, & integritatis Deus cælesti rore benedictionis tuæ extingue in corpore meo fo-

mitem ardentis libidinis : vt
maneat in me nitor castitatis
animæ, & corporis. Mortifica
in me carnis stimulos, omnes-
que libidinis commotiones,
& da mihi veram, & perpetuam
castitatem cum cæteris bonis
tuis, quæ tibi placent in veri-
tate, vt sacrificium laudis ca-
sto corpore, & mundo corde
valeam tibi offerre. Quanta
enim contritione, & lacryma-
rum fonte, quanta reuerentia,
& tremore, quanta corporis
castitate, & animæ puritate
hoc diuinum, & cæleste sacri-
ficio est celebrandum, Do-
mine? vbi caro tua in veritate
sumitur: vbi sanguis tuus in
veritate bibitur: vbi summis
ima coniunguntur: vbi adest
san-

sanctorum presentia Angelorum: ubi tu es sacerdos, & sacrificium mirabiliter, & ineffabiliter constitutus.

Feria tertia.

Quis dignè hoc celebrare, mysterium poterit, nisi tu Deus omnipotens offerentem feceris dignum? Scio, & verè scio, & ipsum pietati tuæ confiteor, quod non sum dignus accedere tantum mysterium, propter nimia peccata mea, & infinitas negligentias meas. Sed scio veraciter, & credo ex toto corde, & ore confiteor: quia tu potes me facere dignum, qui solus potes facere mundum de immun-